

dentiam, consilium, prudentiam, iustitiam, fortitudinem, benignitatem, misericordiam, aliasque virtutes innumeras, & singulas infinite perfectas; hisque congruentes percipite actiones. At vero nemini adhuc, quantum ipse equidem novi, in mentem venit, duas in Deo ponere scientias, specie se junctas; alteram, qua suas virtutes, suasque actiones cognoscit; alteram, qua semetipsum, suam naturam, suam mentem, suasque ceteras proprietates intelligit. Quamobrem ergo philosophiam Moralem hominum propriam, hoc est scientiam virtutum & actionum humanarum, specie disjungamus ab illa, qua interior ipse homo, intima ejus natura, id est anima, hujusque mens; & proprietates reliquae quaeruntur, & explicantur? Cur non potius igitur partes duas minores faciamus, quae simul unam integram Metaphysicam partem majorem componant? Nec vero est, mihi quod possit quisquam objicere, immensum Deum inter & hominem positum esse discrimen: ad rem id quippe nihil facit omnino. Certum namque est, quae in creatis finitisque rebus suo sunt ex genere, suaeque naturae se junctae, re ipsa ea pariter in Deo, non re quidem, sed virtute, perque cogitationem nostram, non vanam, sed veram, ac bene fundatam, differre specie: qua ratione cum minime a Theologis distinguatur scientia, qua Deus se suamque mentem ac cetera comprehendit, ab ea, qua suas virtutes & actiones morales tenet perfectas; plane sequitur, neque illam, quam sui habet homo scientiam, re ipsa talem suscipere differentiam. Restat ergo, ut Philosophia moralis hominum propria, quae est ipsa de Naturae & Gentium jure doctrina (ut pluries dixi, & nunc ratum habeo, & ex se percipiente constat) restat, inquam, ut Philosophia haec sit pars quaedam ad perfectionem pertinens & integritatem *Noologiae*, hoc est scientiae de interiore homine, de anima humana. Possim itaque ego totam de anima nostra doctrinam, *Psychologiam* (si placet, dempta ambiguitate, donec magis aptum verbum occurrat) cum *visis* doctrinam appellare: quae primum generatim ejusdem animae naturam, ejus ab omni materia & mole segregationem, immortalitatem, & si quae sunt alia generalia, persequetur: eamque subinde duas in partes disperiam; quarum priorem, nomine jam mihi usitato, *Noologiam* compellabo; quae mentem, sive intelligendi facultatem tantummodo, omnemque ejus vim, ideas, & cognitionum genera omnia evolvat: partem vero alteram, item graecanicè dicam *Thelematologiam*; quae de voluntate, ejusque arbitrio, de rebus, in quas fertur, de finibus bonorum & malorum, de virtutibus ac vitiis, deque omni genere disputet actionum, atque affectuum, quae omnia uno verbo moralia nuncupamus; unde & Philosophiae moralis nomen descendit: cuius inveteratum, legitimum, omninoque proprium usum huius ego volo proferiptum, sed notionem, atque rem haecenus nomini illi suppositam, hoc est scientiam specie diversam ab absoluta perfecta scientia de anima, deque interiore homine, damno, explodo, rejicio: Cartesium ex parte imitans, qui, dum vulgares qualitates summovet intelligentias, nomina, & consuetas retinet formas loquendi.

Quod quam bene faciam, alio idem argumento demonstro; ex iis equidem, quae adversarii per se ipsi, ac sua sponte concedunt; aut certe, si recte sentiant, concedant, oportet. Una enim omnium consensus est, ac esse debet, communem, atque, ut ita dicam, vulgarem de anima humana scientiam per se, & tanquam de re omnino sua, differere de natura animi, hoc est voluntatis, de libero hujus arbitrio, de Ratione mentis, de

que istius ideis & judiciis generalibus; illis etiam, quae *practica* solent appellari; quippe quae, ut ante explicatum est, illuminandis moderandisque actionibus interserviant, & proxime existant, radices omnibus arbitrii, omnique fontes electionis. Id videre singulariter est in *Specimine Mentis Humanae* ab Joanne Lockio edito; ubi fute ille disputat de judiciis ejusmodi, hominumque arbitrio. Pertinet quoque ad eandem communem de anima hominis scientiam finium, aut causarum finalium rationes viresque tradere, & enucleare; sine quibus voluntatis & arbitrii natura nec esse, neque vero intelligi potest. Denique ipsius ejusdem scientiae interest, (si, qua par est, versetur) hominem ostendere suapte natura sociabilem esse. Haec porro omnia jam ipsa per se cum morum genere continentur & Moralia extant; tum femina sunt, ex quibus necessario jus omne naturale, omnes morum leges, virtutes, & vitia universa, cunctaque morales hominum actiones gignuntur & procreantur. Non minus igitur consequentia haec, quam illa antecedentia ad eandem unam scientiam, quae de anima est, & de anima hominis natura, sunt referenda. Conclusiones siquidem omnes in eam reducuntur scientiae formam & rationem, cujus propria sunt principia ex quibus per se ac proxime ipsae pronantur conclusiones.

Fateor equidem, moralia omnia, atque meras mentis cognitiones, hujusque affectiones reliquas specie, atque etiam, si vis genere intermedio differre inter se ipsa. Id vero nihil me proflus commovet. Nam mens quoque & animus, sive intelligendi atque volendi facultates, earumdemque vires simili inter se discrimine segregantur; quod tamen haudquaquam obstat, quin illas, ex omnium quidem sententia, una eademque generalis communisque de anima scientia attingat ac versetur: quae proinde & rerum omnium moralium tractationem, propriam quasi messim merito sibi assumeret, & tanquam partem ad integritatem universae provinciae suae pertinentem attribueret; eidem ut pote fundo naturaliter adherentem, & insitam, vel potius innatam.

Argumentum, fati, ut puto, haecenus dilatatum, presse nunc & anguste contorquere; ut, illius ad institutum principale quanta sit vis, appareat evidenti, vehementiusque sentiat. Nempe Philosophia moralis, quae ipsa est Juris Naturae & Gentium disciplina, non differt specie a scientia de anima, propriaque hominis natura, sed illa hujus scientia pars quaedam existit, quod mihi plane videor demonstrasse: ad hanc ergo eandem spectat scientiam universa de jure ipso Naturali & Gentium disputatio: quam consequentiam per se ad extremum, eaque brevissima argumentatione ex parte, alioque respectu, omnino stabilio. Inter ceteras namque Juris Naturalis (mitto nunc Jus Gentium) partitiones, ea mihi una potissima est, qua illud in divinum, & humanum distribuo. Priore illo omnia complector hominis in Deum, rerum omnium effectorem moderatoremque officia, quae naturali debent religione persolveri: hoc vero posteriore definitio officia singulorum hominum adversus seipsos, omniumque adversus omnes, personarum, ac statuum habitata ratione. Minime autem dubium controversumque est, sed docti ad unum omnes assentiuntur, jus naturale divinum, sive integrum de religione naturali tractatum, partem esse penitus necessariam absolutae Theologiae Naturalis; quae est de Deo uno, naturae opifice, & naturali ratione cognoscendo, scientia. Ex quo fit, ut ego ne suspicari quidem possim, cur mihi, aut quomodo, Jus naturale humanum, hujusque doctrinam ad scientiam de anima humana, deque interiore homine

mine revocandi audeat quisquam, valeatque litem intendere. Ergone scientia, quae in Dei unius contemplatione desiguit, officia simul eidem supremo Numini ab homine jure naturali tribuenda explicabit; scientia autem interiori homini pernoscendo consecrata, haec, inquam, scientia officia, quae jure eodem natura homo ipse sibi ceterisque mortalibus debet, alto silentio praeteribit, quasque rem alienam proflus non audebit contingere? Longe sane mancam & diminutam esse oportet, quamcumque de Deo Opt. Max ejusque natura cognitionem habitarum fumus, lege & ratione ignoratis, quibus venerandus ille a nobis colendusque est: qui igitur effici potest, ut de homine, hujusque propria natura, perfecta, quoad vires ferunt, & integra scientia habeatur, sine intelligentia juris ejus, quo & quisque hominum sibi, & universa humani generis societati tenetur obstrictus? Discrimen, qui possit, excogitet: ego certe illud, quantum omni ingenii contentione adhibita, cernere nusquam possim. Haud tamen est, quod hinc aliquis arbitretur, jus idem naturale divinum naturalemque religionem ab ea ipsa de anima intimaque natura hominis disciplina alienam esse, necessarioque distrahatur oportere: quam ego distractionem ideo nunc feci solummodo, ut ex eo, de quo mecum minime litigant adversarii, sed sua ipsorum sponte dant, ad id mihi concedendum, quod litigiosum, incertumque putabatur, impellerentur. Ceterum, ut dicam quod res habet, in immenso Juris Naturalis universi, indeque & Juris Gentium campo licet cuique de interiore homine disputanti vagari libere, & in quacunque ejusmodi campi parte contiterit, consistet in suo. Etenim non minus, quin etiam multo magis ad Deum, quam ad seipsum, reliquosque sui similes jure Naturali referretur homo, ac instituitur: cuius iccirco naturam nemo plena perfecta que intelligentia tenet; nisi naturae leges, virtutes, officia vitia, & actiones habeat exploratas; quibus omnia illa comparatio triplex, atque respectus obstringitur, perficatur, aut depravatur. Clarissime itaque liquet, & ipsum jus naturale divinum (quod in praesenti non ex principio, & origine, sed ex fine, & *re ipsa* sic ego appello) ad scientiam de interiore homine apposte reduci; tamen illud idem, in naturali utpote religione positum, ad naturalem etiam pertinet Theologiam: id quod nemini asserat admirationem propter varium, & mirabilem rerum nexum, respectumque multiplicem.

At vero jam tandem cumulatissime statum exiitimo, & demonstratum, Metaphysicam, veluti sibi jure quaesito sua ex parte altera, *Noologia aut Psychologia*, quasi proprium patrimonium cernere omnis juris Naturalis & Gentium doctrinam amplissimam. Reliquum est, ut id ipsum deinceps, quod praeterea pollicitus fui, ex parte ejus tertia, *Theologia Naturali*, consiciam: quod factu longe facilius est, multoque planiore sermone. Huc in angustum adductis adversariis nostris omnis habebit aqua; locus nullus supererit cavillandi: quo se vertant, proflus nesciant; neque omnino discere audebunt. Id quo perspicue eluceat, praestat, quod egomet alias docui, meminisse, duplicem esse Theologiam: alteram nostram hanc ipsam, quam dicimus Naturalem; propterea quod Deum unum Naturae opificem, vimque ejus omnem, proprietatem, & actionem, pro viribus a natura humano ingenio inspicit, & explicat: alteram, quam Christianam, vel etiam *supernaturalem*, sed extrinsecus tantum, recte & merito nominamus; utpote quae primum atque per se non naturae vestigia persequens, nec humana ratione innixa, sed Divino elata verbo, ceterisque hinc manantibus

Serry Tom. VI.

testimoniis suffulta Deum ipsum Unum & Triunum, Hominemque factum, & supra naturae ordinem legesque sese (ut huic quidem mortali vitae convenit) manifestantem, operantemque, ac verae sanctitatis fontem, & finem contemplantur. Sed necesse quoque est distincte novisse, quae sint huic posteriori Theologiae confinia posita; resque omnes in ejus potestatem ditionemque redactas, unde & prioris iustus limites, certamque possessionem cognoscere licebit.

Male autem de vobis mererer, Aud. ornat. si vos vellem operosius conducere, Christianos, aut Christianam Fidei Religionisque Christianos omnem sibi, nemine uno repugnante, juris Divini voluntarii, & Naturalis cognitionem, tractationemque adfiscere. Quem namque latet Christianae Theologiae omnem virtutum, & virtutum esse sylvam subjectam, quae jure, illo utroque circumfusa est? Quem latet, S. Thomam Aequinatem Theologorum hujusque generis, sive distinctam & claram docendi Methodum, atque ad Geometricam proximius accedentem, sive rerum dignitatem, & rationum pondera species, omnium facile principem non voluntario solum-juri Divino & habitibus, qui supranat vires naturae, animisque nostris peculiari Dei ope atque opera per Christum Jesum inferuntur, augentur, & conservantur; sed juri etiam, legibus, atque virtutibus ordinis naturalis, officiis, vitiis, & peccatis utriusque generis accuratissime explicandis suae Theologiae Summae ferre dimissum consecrasset? Sed & quem quoque latet, Doctoris hujus praclarissimi posteriores ad unum omnes in eodem genere Theologos, laudatores imitatoresque extitisse; eandem cum ipso doctrinam viam fuisse ingressos; eaque ipsa quasi jura pueritii custodivisse, earundem suscipientes rerum provinciam? Ac demum nunquam reperire nunc est, veri absoluteque nominis Theologum Christianum, qui aequae sibi non vendicet omnem de officiis ac moribus non modo Christianorum, sed etiam hominum ac civium, cujuslibet status & conditionis, dispositionem; atque alteram de Deo Uno & Triino, deque Homine Deo, hujusque Sacramentis, cunctisque sive hujus, sive illius proprietatibus, actionibus, atque muneribus? Neminem sane. Nec vero id temere, ac perturbate, pro arbitrioque Theologorum ejusmodi fieri, aut factum esse, sed summa cum ratione optimoque ordine oportet arbitrari. Etenim Theologiae nomine generatim & universae facultas, aut scientia quaedam intelligitur, quae Dei naturam, vim, & proprietates omnes, quoad ejus fieri potest, inquirat. Quamobrem Theologo cuivis fati esse non potest, quae Deo in se simpliciterque conveniunt, ea facultatis suae viribus jurisdictione subjiungere; nisi etiam illa supponat, quae Deo quasi accidunt, atque accedunt ex comparatione & ordine ad res creatas. Dei enim cognitionem, necessarium est, Theologum omni ex parte rimari. Bipartita igitur est Theologiae tractatio universa: una de Deo in se, & per se, nulloque habito ad opera externa respectu; altera de eodem, quatenus rerum est omnium ab se distinctarum principium, legislator, & finis. Verum ut res alias omnes, utentes, carentesque ratione praeteream; cum ad genus hominum comparatur Deus, obtinet ille duplicem & principium, & legislatoris, ac finis speciem, & notionem; alteram intra ordinem naturae subsidentem, alteram supra illum e-reclam: quae utraque ex iis, quae modo dicebamus, comperta est. Secunda vero ita nequit a prima disjuncta subsistere, vel intelligi; quemadmodum sine fundamento aedificium, sine radicibus arbor, sine corpore figura, & motus, & modi reliqui neque stare possunt, neque cogitari omnino:

G g

quae

quæ causa est, cur Christiana, & Divina confitens auctoritate Theologia non valeat a nostra, naturalis quæ dicitur, separari; neque de Deo Trino, Loquuto, & Homine facta, nec de legibus ab eo præter naturam conditis sermonem habere; nisi etiam de Deo uno, principio, legislatore, ac sine naturæ edisserat; neque rursus officia expendere Christianorum, quæ omnia quoquo modo jure divino voluntario in Deum ipsum, tanquam in finem ultra naturæ regionem constitutum (a quo & singularem ducunt originem) convertenda sunt; nisi operam similiter det officiis hominum ac civium pernoctandis, quæ naturali jure præitari necesse est, & priori subijci juri, conformarique ad illud. Quare Theologiæ Christianæ disciplina, quamvis de Deo, ut in se est, & a seipso manifestatus, illa præcipue sit; plurimum tamen circa homines, eorumque virtutes, vitia, & actiones cujusvis generis versatur: & cum ex homine, tum ex iis, quæ Deus homini fecit, & efficit, tum pariter ex iis, quæ debet homo Deo per se, & sibi ipsi, & reliquis mortalibus Dei jussu, & gratia, Divinæ naturæ cognitionem venatur, & accipit. Quod si potentiam, benignitatem, justitiam, & providentiam Dei indagare, & proferre Theologiæ istiusmodi munus est; de sine etiam, quem Deus non alium quam seipsum clare videndum fruendumque hominibus comparavit, deque necessariis ad hunc finem adificandum virtutibus, officiis, legibus, divinæ gratiæ auxiliis, sanctitate, Dei Incarnatione, & Sacramentis, longissimæ licet disputationes haud erunt profecto ab instituto Theologiæ ejusdem alienæ; eo vel maxime, quod omnia hæc Dei ipsius sapientiam, probitatem, prudentiam, fortitudinem, æquitatem, magnificentiam, liberalitatem, misericordiam, patientiam insigniter & præclare patefaciunt & illustrent. Præterea certum est, scientiam quamlibet nihil aliud esse, quam conclusionum complexione, quæ ex propriis scientiæ ipsius principiis locisque argumentando eliciuntur. Nullus porro ignorat, principia & loca, unde sua Christiana Theologia conficitur argumenta, suasque expromit conclusiones, divinis potissimum litteris, Apostolicis & Ecclesiasticis Traditionibus, Conciliorum decretis, summorum Pontificum constitutionibus, atque sanctorum Ecclesiæ Patrum & maxima & magna doctrinarum consensione comprehendi. At vero palam quoque est, & in omnium cognitione positum, monumenta hæc universa non solum ea præscribere, quæ sacra tantummodo sunt & inconcussa fide credenda; verum etiam jubere quæ omni jure per cultum amorem & dilectionem expectanda agendaque sunt; & fugienda & vitanda contraria prohibere. Quid, quod vel ipsa Fidei Doctrina rerumque omnis credendarum cognitio eisdem contenta monumentis ad mores tandem utraque actionem referatur? Huc namque illud spectat: Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Nunquid poterit fides salvare eum? (a) Huc attinet & illud: Ad dandam scientiam salutis plebi ejus in remissionem peccatorum eorum: (b) Sed quorum, nisi huc tendunt & illa? Dedit illi scientiam Sanctorum (c):

- (a) Jacob. 7.
(b) Lucæ 1.
(c) Sapient. 10.
(d) Proverb. 9.
(e) Ecclesiastic. 32.
(f) 2. Timoth. 3.
(g) Joann. 20.
(h) 1. Joann. 2.

(i) HISTOIRE DE LA PHILOSOPHIE PAYENNE, ou les sentimens des Philosophes & des Peuples Payens, le plus célèbres sur Dieu, sur l'Âme, & sur les Devoirs de l'Homme.

Scientia Sanctorum, prudentia (d): Qui credit Deo, attendit mandatis (e): Quoque alio hæc etiam attendit? Omnis scriptura Divinitus inspirata utilis est... ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus (f)? Hæc autem scripta sunt, ut credatis... & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus (g): Qui dicit, se nosse eum, & mandata ejus non custodit, mendax est (h): aliaque generis hujus sexcenta, quæ in hac passim scriptura cuique occurrunt. Ex quibus plane certoque efficitur, Christianæ Theologiæ facultatem, quæ perpetuo ex eisdem scripturæ fonte, hujusque rivulis diuturno jam tempore hauritur, non modo in rerum dumtaxat credendarum disputationem doctrinamque incumbere; sed illa etiam, quæ jure omni, aut divino voluntario, aut naturali perfecti & devitate oportet, si in disceptationem questionemque vocentur, pro munere officii sui examinare, evolvere, & declarare.

At quo me quasi quidam ætus sermonis abripuit? Intellego enimvero, me multo longius, quam animo providebam, otatione esse processum, ne dicam, abstractum: reor tamen sine temporis operæque dispendio. Multi namque usu quidem & vulgari fama provincias regionisque scientiarum noverunt, sed earum jura titulosque legitimos sæpe ignorant, aut certe non satis percipiunt, ac tenent. Quod vero mea nunc maxime interest, longe jam quisque facillime assequitur, quanta ego cum ratione omnem juris Naturalis & Gentium materiam Theologiæ Naturali, tertiz Metaphysicæ parti, propriam tradam; neque me plus ei tribuere cernat, quam res & veritas ipsa concedat. Quod si quis erit, qui forte neget, hic pariter ut ab Theologia Fidei omnem rerum humanarum transactionem abjiciet, necesse est. Nostra namque hæc Theologia Naturæ, aut Rationis, quemadmodum ego plus semel ante dixi, & ipso ejus cognomine patet, omnem, quæ de uno Deo potest naturali ingenii lumine comparari, sibi jure summo arrogat cognitionem. Porro autem minime obscurum est, id hominibus esse a natura tributum, ut non modo ipsum Deum Unum, idonea expressum intelligentia, firmisimam, si velint, cognoscant argumentis existere; sed illum etiam cum rerum omnium esse creatorem servatoremque, tum legislatorem ac finem hominum naturalem, eorumdemque officiorum omnium; id quod ipsa Naturalis Theologia æternis ac necessariis rationibus demonstrat: sed nunc potius constantissimæ anticipationis loco habendum, quam probandum est. Attamen non committam, ut ipsam illustrari cum possit historico more, & auctoritate aliena, non illustretur: quæ docendi ratio plurimum præsentis meo instituto conducet. Nuperus itaque auctor operis cujusdam egregii, & elegantis gallicæ scripti, atque inscripti (i): Historia Philosophiæ Ethnicæ... de Deo, Anima, & Officiis Hominis, diserte ostendit, nullam in Theologia Naturali veritatem inveniri, quam homines duce philosophia, hoc est ingenua ratione non fuerint assequuti: confitendum quidem esse affirmat, nullum extitisse philosophum Ethnicum, qui unus absolutam fuerit cognitionem adeptus earum omnium

omnium rerum, ad quas cæteroin intelligendas Ratio ipsa aptissima est: sed sufficere certum esse, nihil proferri ex hoc genere posse, cujus non uni, aut alteri fuerit eorumdem philosophorum veritas explorata; unde & in integras gentes manare possent. Quo certe fundamento innixus Apostolus Paulus ad Romanos (a) ajebat: Quod notum est Dei, (id est, quod potest Ratione cognosci) manifestum est in illis; (gentibus atque philosophis Ethnicis) Deus enim illis manifestavit (non verbo, nec externo, neque interno, sed Ratione tributa). Invisibilia enim ipsius a creatura Mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus & divinitas: ita ut sint inexcusabiles. Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis. Ex quibus verbis ultimis aperte colligitur, Paulo fuisse persuasum, philosophos populosque Ethnicos solius naturæ viribus tenuisse, aut certe potuisse tenere, Deum esse finem supremum, ad cuius laudem & gloriam fe suaque dirigerent actiones, & cui omnia accepta referrent. Et vero in rem hanc memorata historia auctor, agens de regala humanarum actionum, ponit effata quatuor, summi hercle momenti, quæ ex ipsis scriptoribus Ethnicis prompsit: I. Unam aliquam extare legem æternam justæ atque injusti, ad quam omnes debeant hominum actiones institui: II. quemque debere sibi in omnibus actionibus divinitatem proponere imitandam; utque ad eandem componatur, aduti: III. Quibusdam etiam antiquis philosophis interluxisse, mortalium esse officium, ut suas ad Deum referant actiones: IV. Voluptatem oportere humanarum actionum regulam nunquam esse. Non equidem ego negaverim, (qui namque possem?) plures omni tempore repositos philosophos, sive Epicureos, sive Academicos, sive sectæ alius, qui effatis ejusmodi fuerint infensus adversari. Verum multo profecto mirabilis est, inter gentes, ad quas nullum Dei verbum factum erat, ac in tanta errorum caligine, vitiatorumque & flagitiorum colluvie apparuisse homines aliquos, quibus lux affluerit veritatum tam excellentium, tamque sublimium; quam eisdem bellum plurimos intulisse: quibus utinam ne multo fortasse plures queant e media Christiana Religione succenturiati numerari. Idem rursus auctor producit magno sane numero grecis latinisque testibus docet, gentes illas ipsas credidisse, Divinitatem metuendam, verendam, honorandamque esse, variisque id posse rationibus effici, sed interiore præsertim observantia & pietate, hoc est virtute universa, quæ omnium perficitur & continetur affectuum moderatione: implorandam quoque esse Dei operam; illumque amandum. Hæc ego pauca, eaque summam ex aliena fide censui proferenda, quibus quisque facillime intelligeret id, quod loco idoneo vere ac proprie demonstratur, sed ut ratum in præsentia habeatur, rectissime postulo; scilicet Theologiæ Naturalis facultate, itaque naturali nostro ingenio cognosci, Deum unum, rerum omnium molitorem, esse principium simul, legislatorem, ac finem naturalem omnium humanarum rerum & actionum, quæ jure Naturæ & Gentium juberent, atque verantur. Cui tamen veritati, quin adhuc ex Cicero ne licet aliquam afferam jucundissimam, nequam me valeo continere. Verum tot ille tamque egregia huc pertinentia habet, vix ut sciam, Serry Tom. VI.

quæ legam, quæve præteream. Promptiora quæ mihi occurrunt, recitabo. Peto vero prius, neminem commoveri quod Deos audiet nominari, cum cæteroin apertissime constat, Ciceroem ipsum millies Dei Unius, Summi, Optimi, Maximi, facere mentionem; illamque appellare effectorem moderatoremque mundi; principem Deum, qui omnem hunc Mundum regat, patrem divumque hominumque dominantem in nobis Deum, Numen præstantissimæ mentis; Unum optimum, & undique perfectum, cui nihil omnino desit, & nihil absit; aliaque hujus generis fati multa. Ad rem ergo quod attinet, libro primo de Nat. Deor. (b) sic ille edisserit: Sunt enim philosophi & fuerunt, qui omnino nullam habere conferent humanarum rerum procuratorem Deos. Quorum si vera sententia est, quæ potest esse pietas? quæ sanctitas? quæ religio? hæc enim omnia pure ac casto tribuenda deorum Numini ita sunt, si animadvertuntur ab his, & si est aliquid a diis immortalibus hominum generi tributum. Sin autem dii neque possunt nos jurare, neque volunt, nec omnino curant; nec, quid agamus, animadvertunt; nec est, quod ab his ad hominum vitam permanere possit: quid est, quod illos diis immortalibus cultus, honores, preces adhibeamus? In specie autem sic simulacionis, sicut relique virtutes, ita pietas inest non potest, cum qua simul & sanctitatem & religionem tolli necesse est: quibus sublati perturbatio vite sequitur, & magna confusio. Atque haud scio, an, pietate adversus Deos sublata, fides etiam & societas humani generis, & una excellentissima virtus, justitia tollatur. Libro deinde eodem (c) hæc habet. Quis enim non timeat omnia providentem, & cogitantem, & animadvertentem, & omnia ad se pertinere putantem, curiosam & plenum negotii Deum? Quæ quamquam per impiam licentiam & irrisionem a Vellejo Epicureo dicerentur aut potius dicta fingantur, tamen, quid reliqui plurimi philosophi ac gentes existimarent, liquido produnt. Rursus libro secundo de Legibus (d) Cicero ex sua ipsius sententia ait: quod autem non homo iudex, sed Deus ipse vindex constituitur; præsentis pœne metu religio confirmari videtur. Verum eundem præterea audiamus adeo persuasum, Deum esse humanorum actuum finem; ut vita etiam beata ac sempiterna (qualicumque demum) homines pietate justitiaeque in hac vita perfectos ab ipso principe Deo donandos esse, cognoverit. Libro igitur de somnio Scipionis (e) sic fatur divine: Sed quo sis, Africane, alacrior ad curandam Rempublicam, sic habeto: Omnibus, qui patriam conservarint, adjuverint, auxerint, sortum esse in Cælo, ac definitum locum, ubi beati ævo sempiterno fruuntur. Nihil est enim illi principi Deo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat, acceptius, quam concilia cœtusque hominum, jure sociati, quæ civitates appellantur: harum rectores & conservatores hinc (e cælo) profecti, huc revertuntur... Nisi Deus is, cujus hoc templum (cælum) est omne, quod conspicit, istis re corporis custodiis liberaverit, huc ribi aditus patere non potest... Sed sic, Scipio, ut arvis hic tuus, ut ego, qui te genui, justitiam cœlo, & pietatem: quæ cum sis magna in parentibus, & propinquis, tum in patria maxima est: ea vita, via est in Cælum, & in hunc cælum eorum, qui jam vixerunt, & corpore laxati illum incolunt locum, quem vides. Quid, quod etiam singularia (intra tamen naturæ ordinem) Dei

Gg 2 auxi-

- (a) I. Verf. 19. 26. 21.
(b) Edit. Verburg. Num. 11.
(c) Num. xx.
(d) Num. x.
(e) Num. 111.

auxilia necessaria vidit hominibus iis, qui præclarum aliquid gessissent, gererentque. Ita namque Lucium Balbum e Stoicorum schola loquentem producit (a): Multas præterea & non ista civitas, & Græcia tulit singulares viros; quorum neminem nisi jurante Deo talem fuisse credendum est. . . . Nemo igitur vir Magnus sine aliquo assistu Divino unquam fuit. Neque vere curandum, quod Cotta Academicus adversus Balbum disputans dicat (b) Virtutem autem nemo unquam acceptam Deo retulit. Id enim perquam falsum est. Illud potius alte est animo imbibendum, quod Cicero idem ipse ex animi sui sententia lib. 1. de legibus (c) ita concludit: Ex quo efficitur illud, ut is agnoscat Deum, qui unde ortus sit, quasi recordetur, ac noscat. Jam vero virtus eadem (certa ac definita proportione) in homine ac Deo est. . . . est autem virtus nihil aliud, quam in se perfecta & ad summum perduca natura. Est igitur homini cum Deo similitudo. Et paulo post (d): Nunc quoniam hominem, quem principem reliquarum rerum esse voluit, generavit, & ornavit Deus, perspicuum sit illud &c. Atticum sit item respondentem inducit (e): An mihi aliter videri possit? cum hæc perfecta sint; primum quasi muneribus Deorum nos esse instructos, & ornatos: secundo &c.

Ad extremum ipsius juris aut legis naturalis originem, tamque necessariam a summo Deo non uno in loco Cicero repetit. Et libro quidem de Legibus secundo (f) inquit: Hanc igitur video sapientissimum fuisse sententiam, legem neque hominum ingenii excogitatam, nec scitum aliquid esse populorum, sed æternum quiddam, quod universum mundum regeret, imperandi, prohibendique sapientia. Ita principem legem illam, & ultimam, mentem esse dicebant; omnia ratione aut cogentis, aut vetantis Dei: ex qua illa lex, quam Dii humano generi dederunt, recte est laudata. Est enim Ratio mensque sapientis ad jubendum, & ad deterrendum idonea. Plerisque vero interjectis subiungit: Quamobrem lex vera atque princeps, apta ad jubendum, & ad vetandum, Ratio est recta summi Jovis. Demum ex Quinti Fratris responsione ibidem (g) concludit: Ergo ut illa divina mens, summa lex est; item, cum in homine est perfecta, est in mente sapientis. Sed pene ego, Aud. obliviscerentur eorum, quæ anterioris libri initio dixerat (b); quæ tamen dignissima sunt, ut retineantur memoria sempiterna: Est igitur, inquit, quoniam nihil est Ratione melius, eaque & in homine, & in Deo; prima homini cum Deo Rationis societas. Inter quos autem Ratio, inter eosdem etiam recta ratio communis est. Quæ cum sit lex, lege quoque consociati homines cum diis putandi sumus. Inter quos porro est communio legis, inter eos communio juris est. Quibus autem hæc sunt inter eos communia, & civitatis ejusdem habendi sunt. Si vero ista impertis & potestibus parent, multo etiam magis parent huic cælesti descriptioni, mentique divinae & PRÆPOTENTI DEO.

Ex his omnibus credo ego, nemini, qui recte sapiat, dubium alium relinqui, quin ratio possit, atque adeo Theologia Naturalis perspicere, Deum unum esse principium, legislatorem, finemque extremum virtutum & actionum omnium, quæ Naturæ & Rationis ordinem servant; vitia

(a) De Nat. Deor. l. 2. Num. LXVI.
 (b) Ibid. l. 3. Num. xxxv.
 (c) Num. viii.
 (d) Num. ix.
 (e) Num. xiiii.
 (f) Num. iv.
 (g) Num. v.
 (h) Num. vii.

autem, scelera, & peccata, quæ ordinem istum quoquo modo perturbant, ab eodem principio, legislatore, ac fine, alia propius, longius alia aberrare. Hæc enim, quæ modo attigimus, cum antiqui philosophi (quos omne Dei verbum latebat, aut si, quod plerique putant, ex Hebræorum consuetudine & libris quidpiam didicerant, nihil tamen profecto nisi humanum suspicabantur) populari potius sensu, naturalique instinctu, quam via & ordine, ac necessariis argumentis cognoverint; quid non demum sperandum ab nostra naturali Theologia? Hæc enim non adhibita quidem extrinsecus sacre Fidei auctoritate, sed per eam tamen interius monita & excitata, deque veritatibus ipsis intra Naturæ cancellis comprehensis certior facta, eorundem firmissimas atque perspicuas rationes excogitavit. Quæ cum ita se habeant, eumque iustitiam cum iustoque Sacramento contendere licebit, propterea quod Theologia huic universum Jus Naturæ & Gentium pro suo munere versandum adjudicem; postquam Theologia Fidei, aut Theologia Christiana, sine ulla controversia, nulloque adhuc contradicente, cum de jure Divino voluntario, tum de hoc ipso, quod per se nostrum esse defendere laboramus, copiosissime differit? Quæ enim causæ efficiant, ut Theologia Fidei propriam in utroque jure commentando operam ponat, eadem sane causæ extant atque eminent, cur Theologia Rationis æqua, imo & majore auctoritate unius Juris Naturalis & Gentium suscipiat explanationem. Prior namque illa Theologia prima, proprie, & sapienter natura hujus ejusdem Juris accipit cognitionem ex divinis tantummodo libris, tanquam ex fonte summo, cæterisque inde scaturientibus rivulis: in quibus ea ipsa, quæ jus istud jubet, concedit, ac verat, exponi debuerant, propter humani ingenii debilitatem, negligentiam, inconstantiam, & obscuritatem, nimium in dies crescente cupiditate, & quotidianis pravitatebus auctan. Quod si ad eam illustrandam cognitionem, & sacris jam haustum monumentis, Theologia Fidei argumenta quoque adhibeat, e Rationis penâ deprompta; id secundo loco facit, & accessione quadam. In hac quippe Theologia primas partes tenet Auctoritas; Ratio autem vi propria, ex suisque principis argumentans, quæ illi subsidiaria venit, secundas. Demum isthæc Theologia ideo quæ sunt Juris Naturalis & Gentium pertractat, quod istud sit Juris Divini voluntarii fundamentum; quodque Christianorum, & Religionis certa Dei voluntate instituta munera satis nequeant declarari, & absolvi, nisi officia hominum pariter ac civium in aspectum lucemque proferantur, atque ad jus istud adventitium conformentur. Quoniam vero naturalia proprie & per se naturali Ratione tractanda sunt; oportet profecto, ut Naturalis existat Theologia, quæ & humanis & divinis depositis testimoniis, uno Rationis ductu primum quæ Uni Deo conveniunt, demonstrat; tum ex iis gradum faciat ad universum jus Naturæ & Gentium interpretandum, quod ab eodem Deo necessariam trahit originem; & ad ipsum debet tanquam finem ultimum recurrere. Si fidei quidem Theologia cum leges a Deo pro suo arbitrio latas, Naturæque legibus adjectas, tum virtutes,

tutes, quæ ob Christi Jesu merita peculiari Dei beneficio Christianorum animis infunduntur, virtutumque officia, tum vitia & peccata virtutibus eidem officiique contraria summo suo jure explicat; quid tandem est, quod possit Theologiam Rationis prohibere, quominus Naturæ leges, menti humanæ ab ipso rerum omnium molitore ex necessario ordine insculptas, & naturales virtutes, quarum semina ille idem omnium rerum factor in hominum ac civium animis, ipsorum exigente natura, sparfit; & officia his virtutibus consentanea, & vitia denique & peccata repugnantia, expendat, tradatque? Quæ si magnam partem, quoniam aliunde non postumus, sumenda sunt nobis ab iis ipsis prioris Theologiæ Magistris, a quibus explati sumus, nemo jure queretur; dummodo illa ad hanc nostram Naturalem Theologiam, quo pertinent, & quam intuentur, transferamus, ut eadem restituantur in integrum.

Non sum tamen nescius, quin vel egomet ipse alias (a) luculenter significavi, Jus Naturale & Gentium, illud quidem quod homines singulos, totiusque humani generis spectat societatem, sine ullo ad Deum respectu, intelligi, explicarique posse: Est enim daremus, quod sine immani impietate dari non potest, non esse Deum, aut res humanas minime ab eo curari; nihilo tamen minus, dum existerent homines, quales re ipsa existunt, eadem, quæ nunc, prædicta essent Ratione; quæ radix proxima est omnis juris, omniumque legum, quibus & singuli & universi debent obstringi. Quemadmodum atheus potest esse geometra, quamquam certo certius est, neque Geometriam, neque res Geometriæ subiectas, neque atheum ipsum, neque demum rem ullam posse existere, immo ne intrinsecus quidem quicquam fore possibile, nisi existeret Deus verus; in quo uno rerum omnium, non modo existentium, sed etiam tam intrinsecus, quam extrinsecus, possibilitium Ratio sufficiens contineatur: ita idem atheus potest natura humanæ contemplatione juris illius Naturalis & Gentium, quod hominum officia erga se ipsos singulos universosque amplectitur, doctrinam percipere. Neque enim, ut cognoscatur quid sit homo, & qualis sit, aut esse debeat adversus se ceterosque homines, oportet etiam cognoscere unde sit, quoque postremum referatur. At enim ea ipsa, quam atheo damus, Juris Naturalis & Gentium doctrinam & valde manca foret & imperfecta, ut dicto in loco cum sapientissimo Leibnitio asseruimus; & per se nihil, aut certe parum admodum conferret ad morum institutionem, officiaque societatis præstanda, ut ut in contrariam partem obgannat Bælius, nuperus atheorum Achilles; cui nunc unum tantum Ciceronem opponimus, sicut supra retulimus ajenrem: haud scio, an pietate adversus Deos (Deum) sublata, fides etiam & societas humani generis, & una excellentissima virtus, justitia tollatur. Tractatio igitur Juris Naturalis & Gentium videtur omnino a Theologia naturali abstrahenda non esse; siquidem jus istud re ipsa Deum Unum, Naturæ Auctorem, habet principium, & finem; & ratione quidem longe alia, quam res cætera; quæ jure, ac lege non vivunt. In quam nostram sententiam necesse est, ut multo majore mentis inclinatione propendat, quicumque cognitione teneat, vel profanas gentes suam habuisse civilem Theologiam, quæ, ut esset contaminata vanitate & superstitione, plurimum tamen continendæ proderat societati, & multitudini coercendæ.

Quod si quis forte adhuc vulgari communique illi scientiarum divisioni in theoreticas, & practicas, sive speculativas & actuosas, arte & obfinate adhareat, omninoque putet, universam morum scientiam a cæteris omnibus segregandam; neque iis velit, aut possit, quæ hac de re a me supra dicta sunt, acquiescere: isto jam loco in promptu habeo, unde & illi expeditissime satisfaciam, & quicquid hoc negotii est, penitus evanescat. Ut enim Sacra Fidei, Christianæque Religionis Theologi theoreticam simul & practicam faciunt suam illam peculiarem Theologiam, solentque eam in Speculativam, Dogmaticam, & Moralem tribuere; sic ego profecto possum tantundem de nostra naturali ad Rationis Theologia affirmare: quippe quæ, ad hoc quod attinet, eadem, quæ illa altera, præstat dignitate & excellentia; dum utraque eundem respicit Deum, principium, legislatorem, finemque extremum; est alia atque alia via, & ratione. Cæterum nemo unquam poterit a me impetrare, ut, quæ fertur in Scholis communiter, quoque sensu fertur, scientiarum partitionem amplectar, qua tanquam in duo diversa genera dividuntur in Theoreticas & Practicas; neque ut illis assentiar, qui unam Theologiam in Speculativam, Dogmaticam, & Moralem dispartiant: quasi vero quæ de moribus differit, non eadem in contemplatione versetur, suaque decreta & dogmata ponat. Melius itaque omnis mihi videtur Theologia, tam quæ Fidei, quam quæ Rationis est, dividenda, non in duplicem quidem speciem, sed in partes duas; quarum altera dicatur & sit rerum cognoscendarum solummodo; altera autem rerum cognoscendarum simul & agendarum: quarum tamen cum ipsa Theologia non sit actuosum efficiensque principium; non est revera, cur eadem practica vel actiosa merito dicatur; nisi, ut maxime, extrinsecus; sicut in loco explicavimus. At enim, iterum profiteor, non est mihi animus communem loquendi modum eliminare, dummodo intelligentia, quibus opus est, corrigatur.

Generali porro ratione satis me arbitror evicisse, Juris Naturæ & Gentium doctrinam Theologiæ Naturalis propriam esse. Aliud modo occurrit certum ac definitum argumentum, quo idipsum denuo conficiatur. Nam, quod ante dixi, quin tractatus Religionis Naturalis ad hanc nostram referatur Theologiam, nullus incipias invenit. At vero, ne alios nominem, quos tamen possem, præclarissimus Wollastonus libro, qui gallice inscribitur: EBAUCHE DE LA RELIGION NATURELLE, hoc est Latine: Adumbratio Religionis Naturalis; magnam tradit Juris Naturalis & Gentium partem: neque summa tantum & generalia, (quod plerique Metaphysicæ ultro dant) sed etiam distincta, multaque singularia capita confectatur: quæ cum ad privatam, tum ad socialem vitam recte transigendam desiderantur. Quod autem plurima ille prætermittat, libri titulus, qui rem adumbratam solummodo pollicetur, causam prodit; quæ nullo modo est ab alienatione materiæ rependa. Quam vero subtili, & intima, ac vere metaphysicæ disputandi ratione toto illo opere utatur ipse in primis magnus ac nobilis auctor, quemque rogo, ut opus idem legere velit; quo suo fiat proprio experimento conscius; ac veluti manu tangat, quam ego convenienter ad nostram disciplinam res ejusmodi, quæ ab ea videbantur alienissimæ; adduxerim: quippe qui illas cum ad scientiam de interiori hominis natura, tum ad Theologiam Naturalem, duas Metaphysicæ partes præcipuas, clare,

(a) In Originibus & Fundamentis Juris Natur. & Gent. pag. 26.

re, ni fallor, & abundanter pertinere ostenderim. Quoniam vero bene multis, ob antceptam quandam strigofam, sterilemque Metaphysices notionem, durissimum ac ejusmodi facultate copulare; ideo optimum mihi visum est, eos auctoritate urgere viri doctissimi, atque litteratissimi, Joannis Clerici, qui *Moralitatem* vocat & *Metaphysicam*, & *Theologicam*: sed cum pauca illius verba, quæ huc proprie spectant, per se posita factis, & quantum ego cupio, percipi nequeant; dabitur mihi venia, ut sermone ejusdem paululum longiorem hic infra annotationis loco describam, & gallice quidem, ut scripsit ille (a). Quod eo lubentius facio, quia & Lectores hujusce disputationis intelligent, quæ ex nostra Italia ad Transalpinos deferantur; & quia sermo illo Clericus ipse certum Juris Naturalis argumentum attingit, maximi sane momenti; quod & ad vulgi captum valde apte exponit, & aperte simul significat, accuratam illius tractationem uni Metaphysicæ referendam esse acceptam.

Sed non deerunt adhuc, qui forte dicant, mores omnemque juris ejusmodi materiam haud illam ferre cognitionum firmitatem, & evidentiam, quæ Metaphysicæ tribui consuevit. Michaellem a Monte quidem, Charroum, Bælium, aliosque horum similes, qui mala utique fide, perverfaque opinandi licentia totam morum doctrinam, totamque Religionem in horribilem conjiciunt Pyrrhonismum, omnino hinc facessere jubemus: quibuscum non est nunc animus disputandi; nec unquam esse deberet. Nam si illorum obtineat Pyrrhonismus, dubitare quoque oportet, ne ipsi nihil sint, vel unquam fuerint. Ut quid autem cum iis, qui forte nusquam sunt, & omnino non sunt, disputes, aut colloquere? ut acute & facete alicubi inquit Joannes Lockius. At plurimi alii sunt, qui e contrario nimis bona fide, & inconsiderantia, & parum admodum sollicita veritatis cura, deviaque rerum tractandarum ratione, magnam, quamquam nolentes, Pyrrhonis illis ansam occasionemque præbuerunt, præbentque in dies; dum mortalium cupiditatibus omnes fer-

me morum leges ac regulas nimia benignitate accommodare nituntur, viamque latam & spatiosam efficere. Et sane vix ulla tam falsa, tamque perniciofa potest excogitari sententia; cui, non omnia tentent, ut umbram aliquam probabilitatis inducant: quasi illud perversum Ciceronis (b) dictum: *nihil est tam incredibile, quod non dicendo fiat probabile*, pro regula sectarentur, haberentque. Amplectuntur quidem & ipsi, ac ponunt communi consensione certa & explorata morum principia, ut: *boneste vivito: neminem ledito: suum cuique tribuito*, aliaque plura: sed tamen cum facta, & quas casus vocant, discutiunt; raro eorundem principiorum reminiscuntur, aut aliquem habent usum, quo consequtiones sint certæ ac necessariæ: itaque, neglectis principiis, peculiaria de moribus controversias, partem maximam, inanibus quibusdam rationum imaginibus, quas corruptorum suggerunt affectiones animorum, tollunt, ac dirimunt; seu, ut verius dicam, in maxima dubitatione relinquunt. Morales namque istorum libri nihil fere habent frequentius, quam: *probabile; magis probabile; minus probabile; æque probabile est*: aliquid autem pro certo & evidenti rarissime illos audies desinare: unde, quo te veritas, nescies; si animum quidem intendas ad prudentissimam vetustissimamque illam regulam, quam refert Cicero (c) inquit: *Quocirca bene præcipiunt, qui vocant quicquam agere, quod dubites æquum sit, an iniquum. Æquitas enim lucet ipsa per se: dubitatio cogitationem significat injuriam*. Fieri autem minime potest, quin, quæ probabiliter in utramque partem disputantur, mentem dubiam accipitemque faciant. Quod si hi in doctrina morum quædam certa esse affirmant, horum tamen constantiam & firmitatem ab ea, quæ cognitionum Metaphysicarum propria est, distinguunt; illamque in gradu collocant inferiore. Quamobrem sæpissime his utuntur loquendi formulis: *Aliud est moraliter certum; aliud Metaphysice certum*: id quod perinde est, ac si dicerent, morum cognitiones non posse omnino certas esse, sed suapte natura semper instabiles nuntanteseque aliquantum manere: quo univérse posita

(a) Bibliot. Ancien. & Moder. Tom. 23, pag. 376. & seqq. On s'est trouvé dans une Conversation, où étoit un jeune homme, qui venoit d'Italie, & qui se mit à dire que la simple Fornication étoit une chose naturelle, & où il n'y avoit aucun mal. Il parloit la dessus, avec tant de hardiesse, que l'on avoit sujet d'en être scandalizé. Ainsi on crut qu'il le falloit réfuter par une sorte de Parabole, car il n'étoit pas capable de goûter des principes plus abstraits. On lui dit donc qu'il y avoit deux Hommes en une Ville d'Italie, qui ne demouroient pas fort loin l'un de l'autre, & qui avoient chacun une famille assez nombreuse, de l'un & de l'autre sexe. L'un d'eux étoit un homme réglé, qui tenoit tout sa famille dans l'ordre; de sorte que ni ses fils, ni ses filles, n'étoient sujets à aucune débauche; leur Pere & leur Mere ayant eu beaucoup de loin de les bien instruire & de veiller à leur conduite. Cette famille étoit estimée de toute la Ville, & faisoit fort bien ses affaires. Le Pere avoit soin de tenir les Garçons occupés aux affaires de la Famille; & leur monstroit avec soin comment ils devoient s'y prendre, & ils s'en acquitoient fort bien. Il en étoit de même des Filles, qui étoient sous la conduite de leur Mere, qui ne les quittoit point, & qui les tenoit occupés aux Ouvrages, auxquels on occupe ordinairement le sexe. Cette famille étoit généralement louvée & estimée, dans toute la Ville.

L'autre avoit pris une route toute différente. Le Pere & la Mere avoient été fort débauchés dans leur jeunesse, & se ressentoient encore de leur mauvaise conduite. Leurs Enfants avoient pris le même chemin, ils avoient aussi été infectés de maladies honteuses, dont ils n'avoient jamais été bien guéris, & se conduisoient encore de la même manière. Comme toute la Maison étoit infectée de cette manière de vivre, elle se ruina & tomba dans le mépris de tous ceux qui la connoissoient; qui la fuyent avec loin, & qui ne cherchoient aucune alliance avec elle.

On demanda alors au Voyageur, dont il s'agit, de laquelle de ces deux familles il aimeroit mieux être le Pere? Il n'hésita pas à dire qu'il aimeroit beaucoup mieux l'être de la première, que de la seconde. On lui fit une autre question; savoir, si la Ville devoit s'estimer heureuse, si la plupart de ses familles vivoient d'une manière licentieuse, comme la seconde. Il dit d'abord que non & sur la réponse, on lui dit que Dieu, qui ne cherchoit que le bien du Genre Humain, m-me en cette Vie, avoit défendu la débauche & la licence, qui avoient de si mauvaises suites, pour le Genre Humain, m-me en cette Vie; non qu'il en revint à Dieu aucun avantage; mais pour récompenser ceux, qui lui rendoient l'obéissance qu'ils lui devoient, m-me ici bas; mais sur tout dans l'autre Vie.

Cet homme fut obligé de tomber d'accord de tout, quoi qu'il se fit imaginé que la *Moralité Metaphysique*, ou *Theologique*, à l'égard des bonnes & des mauvaises actions, étoit je ne sais quoi, qui n'avoit aucun rapport à la Société Civile; & au bonheur, ou au malheur des hommes, dans cette vie; comme si Dieu, qui les a créés, pour vivre ensemble en Société, n'avoit pas très-sagement disposé toutes choses, en manière que ce qui est contraire ou nuisible à la Société, lui soit délaçable.

(b) Parad. 1.

(c) De offic. lib. 1. cap. X. Edit. batav. sem.

to nihil potest perniciosius dici. Quid ergo mirum, si Bælius præsertim horum opinionibus frequenter suum fulciat Pyrrhonismum? Verum neque cum hoc hominum genere volo nunc ego longius dataque opera disceptare: præsertim presentis fati fuerit monuisse, omnes recentes philosophos, qui sincero animo agunt, scientiaque impensius colunt, affirmare, ac solidis etiam probare argumentis, doctrinam de moribus officiique hominum ac civium ad ipsam disciplinaram Mathematicarum firmitatem & evidentiam posse pertinere; si in illa eadem, qua in istis, diligentia, eademque animi habitudo adhibeatur. De multis tres tantum nomino, Lockium ipsum jam nominatum, Joannem Barbeyracium (a), & Petrum Crota (b). Unius vero Lockii, qui hac de re plura pluribus in locis scripsit, pauca solum verba afferro, sic latine de Gallicis reddita: *Ego nihil dubito*, inquit ille (c), *quin ex propositionibus per se evidentibus vera justitiam, atque injuriam regulæ colligi queant, conclusionibus necessariis adeoque certis, ac ille, que in Mathematicis aribus consueverunt; si quis se velit ad investigationes disciplinæ moralis applicare eadem affectuum*

(a) In Prefat. ad Puffend.

(b) In Logica.

(c) *Essai Philosophique concernant l'Entendement Humain*, liv. IV. Chap. III. §. 18. Je ne doute nullement, qu'on ne puisse déduire de Propositions évidentes par elles-mêmes, les véritables mesures du Juste & de l'Injuste, par des conséquences nécessaires & aussi incontestables que celles qu'on emploie dans les Mathématiques, si l'on veut s'appliquer à ces discussions de morale avec la MEME INDIFFERENCE & avec autant d'attention qu'on s'attache à suivre des raisonnemens Mathématiques.

F I N I S.